



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio Perfectionis Libri Dvo

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

VII. Vt omnia imperfecta diuina ordinatione oriantur; ea ipsa tamen ad augmentum Perfectionemq[ue] assurgere, hominique profectum in spiritu suadere

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

à Christo Domino instituta, ornamentis suis carere possunt, ac solemnitatibus. Et sane de Eucharistiæ Mystério differens Apostolus, *Cætera, inquit, cum venero, disponam.* & ipsum Verbum æternum, in utero Virginis conceptum, non eam statim altitudinem cõsecutũ est, quam anno postmodum trigesimo: ac de eo sic Lucas loquitur *Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines.* Concludam hanc veritatem insigni testimonio doctissimi atque pientissimi viri Dionisij Carthusiani. *Vnumquodque (ait) in sua specie, & quantum ad suum substantiale, perfectũ est, quia species rerum consistunt in indiuisibili: quia se habent vt numeri, in quibus quacumque vnitatis additio siue subtractio variat speciem. Itaque vnumquodque habet quod ad suam specificam requiritur rationem, atque essentialem PERFECTIONEM. In accidentalibus autem oportet proficere. Et hætenus quidẽ de his quæ Deo solo auctore producta sunt.*

## CAP. VII.

*Vt omnia imperfecta diuina ordinatione orientur: ea ipsa tamen ad augmentum PERFECTIONEM que assurgere, hominique profectum in spiritu suadere.*

**N**on erit iam difficile probare, nihil ena-  
 sci perfectum, quod è causis secundis e-  
 ducitur, omniaque accessione & profectu

F 4

indi-

indigere. Crescunt enim in terræ visceribus mineralia inclusa venis quibusdam subterraneis, alunturque terra molliori, seu defæcata quadam materia, quæ duobus veluti muris compacta, thesaurum illum abdit & asseruat; crescunt & stirpes, quæ, à paruo ortæ germine, in immensam altitudinem assurgunt; sed leo nullus unquam annosus euasit, qui prius catulus non fuerit: & vrsus, in formem fœtum ni lambat, vrsi figuram non videbit. Nullus vir natus est, sed infans in pueritiam migravit, deinde adoleuit, iuuentute in virum mutatus est. Et licet olim creauerit Dominus nouum super terram, quando iherosolima circumdedit virum, hic tamen paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.

*Jerem. 31.  
Ysaia 9.*

2. Verum ex nullo principio euidentius id demonstrari potest, quam ex genesi ortuque rerum omnium: in quo Deus primum Adamo, ceterisque animantibus, deinde Noe post diluuium, Crescite, ait, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam: & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus que moventur super terram.

*Gen. 1. & 9*

3. Quæ enim in hoc orbe inferiore à Deo condita sunt, materia constant, cuius natura est, apta esse ad formas diuersas, quas non illico consequitur. Infans vnus diei non loquitur, non ambulat, non ratiocinatur, cibum non vsurpat. Habet quidem remotam ad illas operationes potentiam: deest tamen forma, actualisque facultas. Eadem ratio est de scientia: nam animus hominis quædam tabula rasa est, apta ad diuersas scien-

scientias recipiendas: iis tamen caret, donec imprimantur & exarentur.

2. Voluit Deus omnia nasci imperfecta, ut mortales agnoscerent vnicum esse Deum, in quo sunt omnia, cui nihil deest: se vero faterentur indignos, Deo subiectos, nec se Deos opinarentur. Si enim tot malorum, infirmitatum, calamitatumque segetibus, morti denique obnoxij, se Deos dixere plurimi: si longe plures sese extollunt pauculis naturæ muneribus præditi: quid facerent, si perfecti nascerentur? Tarde quidem, sed iuste Antiochus pronuntiauit; *Iustum est, hominem subditum esse Deo.*

Deinde diuino consilio imperfecti nascimur, Ethnici aut Pagani, imo & ingrati fideles opinarentur, aut æternum esse mundum, aut certe à seipsis habere omnia: quod eleganter expressit Hugo de S. Victore. Propterea ceteris rebus prius informis materies facta est, ac deinde formata: ut eo ipso demonstraretur, quod ab illo prius non existentia accepissent essentiam: sine quo modo formam & ordinem non poterant habere confusa. Eodem modo ipsa rationalis creatura quodam suo modo prius informi facta est, postmodum per conuersionem ad Deum creatorem suum formanda. Et idcirco prius foris demonstranda informis materia, postea formata: ut, quanta foret inter esse & pulchrum esse distantia, discerneret. Ac per hoc admonita est, ne contenta esset, eo quod per condictionem esse à creatore acceperat, donec pulchrum esse atque beatum esse adipisceretur, quod per amoris conuersionem à creatore acceptura erat. Diuus etiam Ambrosius tractans illa verba, Terra autem erat in-

*Cur Deus voluerit quod omnia nasci imperfecta.*

1.

*2. Mach.*

*9.*

*Lib. 1. de*

*Sac p. 1. ca.*

2.

*Lib. 1. He-*

*xameron,*

*ca. 7.*

nis & vacua, Quid est, ait, erat, nisi ne forte in infinitum & sine principio extendant opinionem suam, & dicant: Ecce quia materia, id est, hyle, sicut Philosophi dicunt, etiam secundum Scripturam diuinam non habuit initium? Verum hoc dicentibus respondebis, quia scriptum est, Erat autem Cain operans terram. Desinant ergo quaestionem mouere, cum pramiserit Moyses quia fecit Deus terram. Erat ergo, ex quo facta est. Terra ergo erat inuisibilis & incomposita. Hæc ille. Merito igitur Deo tribui debet non modo omnis PERFECTIO, sed quidquid in nobis est: quia si inuestigemus auctorem omnium quæ in nobis sunt, enumerando singula, deueniemus ad materiam primam, ultra quam nihil reperies.

3. Voluit deinde Deus omnia oriri imperfecta, ut ipsæ creaturæ creatorem suum agnoscerent, & in necessitatibus suis ad eum recurrerent, quod certe insensibiles faciunt: quid enim summis caloribus terra arida fissuris suis aliud anniti videtur, quam Deum inuocare pluviæ partem? Plantulæ enim uero atque arbuta crescunt cælumque petunt ascensu; ramos & brachia expandunt in amplexum conditoris sui, quasi gratias agere niterentur. Quid de bobus dicam?

*Psal. 144.* Oculi omnium (ait Propheta) in te sperant, Domine; & tu das escam illorum in tempore opportuno: aperis tu manum tuam, & implet omne animal benedictione. Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Solus homo, qui cuncta quæ in oib. creaturis sunt participat, ab infimis euectus ad summa, ingratus conditoris sui non

non agnoscit. Cur ita? *Quia incrassatus est dilectus, Dent. 32.*  
 & ideo recalcitrauit: *incrassatus, impinguatus, dilata-*  
*tus, dereliquit Deū factorē suū, & recessit à Deo sa-*  
*lutari suo.* Quid ergo fecisset, si omnia simul,  
 quæ forent ei necessaria, proximo suo ortu acce-  
 pisset? Vult ergo Deus vt tu ipsum conditorem  
 agnoscas, ad se tamquam ad patrem recurras,  
 eum, beneficijs acceptis, impensius diligas;  
 ipse tuo recurſu gaudeat, te complectatur, & vt  
 filium obsequentem, præsentem, & aliquid po- *Prou. 3.*  
 stulautem perpetuo videat, quia *eius delicia sunt*  
*esse cum filijs hominum.*

4

4. Vult denique hominem crescere animo  
 & virtute, exemplo desumpto ex omnibus  
 creaturis: & hoc est vnicum eius desiderium, hæc  
 vnica creationis hominis redemptionisque hu-  
 mani generis causa; hæc ratio è cælo Deum i-  
 ipsum instabulum, in omnia pœnarum genera, in  
 crucem ipsam ignominiosam egit: vbi sicut a- *Dent. 32.*  
*quila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos* *Profectus*  
*volitans, expandit alas suas, eosque portauit in hume-* *sen acratio*  
*ris suis.* Hoc ergo voluntatis suæ beneplacitum *spiritualis*  
 post diem septimum, rebus omnibus conditis, *ac multi-*  
 denuntiauit, dicens: *Crescite & multiplicamini.* *plicatio à*  
*Deo præci-*

Id ipsum quoque intelligi voluit de augmen- *pitur. Gen.*  
 to & profectu virtutum, vt nonnulli Patres in- *1. Lib. 14.*  
 terpretantur, teste D. Augustino. *Quidam (ait)* *ciuit. Dei,*  
*vo'unt hæc verba non secundum carnalem fecundita-* *c. 21. 22.*  
*tem intelligi, quia secundum animam legitur tale a-* *Psal. 137.*  
*liqu:d dictum, Multiplicabis in anima mea virtutem.* *Hom. 1 in*  
 Hæc ille. Certe Origenes elegantissime ad ani- *Genes. sub.*  
 mam transfert. *videamus (ait) quomodo ad imaginē*  
*Dei*

Dei

Dei homo factus sit masculus & femina. Interior homo noster ex spiritu & anima constat. Masculus spiritus dicitur: femina autem anima potest nūcupari. Hæc si concordiam inter se habeant, & consensum, convenientia inter se crescunt & multiplicantur, generantque filios sensus bonos, & intellectum vel cogitationes utiles, per quæ repleant terram, & dominantur in ea: hoc est, subiectum sibi sensum carnis ad meliora convertunt, & dominantur eis, scilicet cum in nullo caro contra voluntatem spiritus insolescit. Hæc ille.

*Ad profectum spirituales auxilia promittuntur.* 5. Nec mirum si animus crescere debeat, cum omnia corporalia, quæ in eius gratiam condita sunt, crescant & perficiantur. Paratus enim Deus, ut terris pluviam, animalibus alimenta aliaque subsidia, ita & nobis gratiam suam ad augmentum præbere. Ita enim scribit Apostolus:

2. Cor. 9. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi. Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum prestabit, & multiplicabit semen vestrum, & auget incrementa frugum iustitiæ vestræ: ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Quod exemplo demonstravit idem Apostolus alibi. Ego (ait) plantaui, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Idem Deus promiserat per Sapientem: Radix iustorum proficiet. Nec mirum: illa enim defixa secus decursus aquarum, fructum dabit in tempore suo: folium eius non defluet, & omnia, quaecumque faciet, prosperabuntur.

6. Ad

1. Cor. 3,  
Prou. 12.  
Psal. 1.

6. Ad hunc profectum nos hortatur Apосто <sup>Profectus</sup>  
lorum Princeps in fine epistolæ suæ, loco epi- <sup>spiritualis</sup>  
phonematis. *Crescite (ait) in gratia & in cognitio- suaderur.*  
*ne Domini nostri & Saluatoris IESV Christi.* Modū <sup>2. Pet. 3.</sup>  
vero crescendi proponens alibi, *Sicut modo,* <sup>1. Pet. 2.</sup>  
*ait. geniti infantes lac concupiscite: ut in eo cresca-*  
*tis in salutem.* insinuans nos in profectu spiritua-  
li similes esse debere infantibus, qui lachrymis  
eiulatu, voce qua possunt fracta, mamillas expo-  
lcunt, summo impetu atque ardore in papillas  
irruunt. Longe etenim nobilius suauiusque  
est lac quod è Christi hauritur mamilla, cum  
ad nos paruulos alendos, tum ut crescamus  
in salutem aratemque perfectam. Illud præ-  
termittendum non est, B. Petrum velle nos cre-  
scere in gratia & cognitione IESV. Id ipsum & D.  
Paulus inculcat. *Ambuletis (inquit) digne Deo per* <sup>Col. 1.</sup>  
*omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, &*  
*crescentes in scientia Dei.* Sicut enim in beatitudi-  
nis statu visio Dei, eiusque beatificus amor, ho-  
minis desiderium complent & satiant: ita  
etiam sitis acquirendæ gratiæ per bona opera,  
ac illustrior quædam Dei cognitio, hominem  
incredibiliter promouent, & quodammodo in  
statu beato atque perfecto constituunt: qui in  
hac vita est, semper crescere ac currere, si quo  
modo apprehendere possit.

Mirum autem hic fortè alicui videbitur,  
quod vterque Apostolus scientiam quæ opera-  
tionis ac dilectionis causâ esse solet, easque præ-  
cedit, gratiæ & operibus postponat, velitque  
nos primū in gratia & multiplicatione bonorū  
ope-



operum crescere quam scientia. Ita est sane: et si enim ex fidei lumine opera virtutum procedant, scientia tamen experimentalis, lumenque sapientiae, ex caritatis ardore & operum fulgore oritur, & à Deo, qui liberalitate vinci non vult, in præmium meritorum infunditur.

7. Efficacissimo vero argumento vtitur Apostolus Paulus ad nos impellendos ad hoc studium virtutis, cum nos esse de corpore Christi declarat, & augmento nostro Christi corpus dilatari, ampliari, ac perfici; deformitatem vero magnam videri, si crescant alia membra, verbi gratia digiti quatuor, quintus vero contrahatur; aut brachium alterum extendatur, alterumque curtum maneat, ac primo natiuitatis die. Sic enim Paulus loquitur: *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in edificationem sui in caritate.* Item in ædificio Ecclesiæ nos lapides desiderari, hiatusque inueniri, quod nondum expoliti simus, locusque expectet nostram expolitionem. *Iam enim non estis (ait) hospites & aduena, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei, super ædificari supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis edificatio contracta crescit in templum sanctum in Domino; in quo & vos coedificamini in habitaculum Dei in Spiritu.* Ex quibus omnib. patet, in primis, vt quis crescat & proficiat,

*Ephes. 4.*

*Ephes. 2.*

*Conditio-  
nes accre-  
tionis.*

vitiis

virtutibus omnibus exuatur opus esse, (quod est primum officium iustitiae Christianae) maxime iis quae Dei amicitiam excludunt. Ne crescat vrtica, sed, ut ait Propheta, *pro vrtica myrtus*; fructus nimirum pretiosus, & boni odoris. Deinde sollicitè Dei gratiam quaerat, conseruet, & augeat. Denique frequenti operum multiplicatione virtutes acquirat & amplificet, quibus & se perficiat, & Christi corpori aedificioque Ecclesiae splendori sit & honori. Quid? parumne tibi est, membrum esse corporis Christi, qui Deus est, qui regnat in caelis gloriosus? parumne, non hospitem esse, sed ciuem sanctorum, & domesticum Dei, supra fundamentum Apostolorum, imo super ipsum lapidem angularem collocari? crescere in habitaculum Dei in Spiritu sancto? Verum corpus Christi crescere debet. Si membrum vnum non crescat toto corpore crescente, amputari debet, aut deformitatem adferet corpore adeo perfecto. Crescere debet & Dei templum. Si aedificationi te subtrahis, caue; & tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

1.

Isaia. 55.

2.

3.

Apo. 3.

## CAP. VIII

*Profectus spiritualis suadetur exemplo Iosephi Patriarchae.*

**E**xemplo nobis erit Ioseph Patriarcha; cuius nomen incrementum, accretionem, seu accessionem significat; cui parens moti-